

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 88.

Lysium-Meum, Die Veneris 7. Dec. 1810 (Noev. 23. Nov. 1810.)

Dum parte ex omni fulgentia lumina vergunt
Continuo rutilat, parvula stella mihi.

Prospectus.

Sub hoc titulo ingeniosa Ephemeris ex patria Wilhelmi Telli sequens lectu non inamoenum texit argumentum:

„Accidit, ut scriptor quidam Anglus olim popularibus persvaderet: Amorem et fortunam continuo voluntatis pedissequam esse debere ex eo: quod ille imberbis duntaxat Juvenis, haec vero tantummodo foemina esset, ambo proin facili opere coercibiles, tractabilesque. — Ast jam luce patet meridiana clarius: veterem scriptorem genium et mentis muliebris perinaciam non computasse, imo nullam attributi adeo notabilis rationem buisse. — Haec ipsa causa est, quod Benjaminus Goldsmith Abrahamo fratri ad Elysiacos campos successerit, quodque melancholia, Anglis Spleen dicta, continuo in Londinensis urbis parte Citti adpellata majora capiat incrementa. — — — Terribile Repressaliarum genus in Continente exportationem ad exiguae considerationis negotium prorsus redigit, et in ratione inversa Britannorum sors praestat Midas conditione,

ille cuncta quae manu atrectabat in aurum vertebat, hi, quidquid attingunt nihil in aurum transmutatur. — Noviora ferunt nuncia, consilium esse Ministris flectendi et ad obsequium revocandi impendentem vertici suo tempestatem per id: quod aequae nullam exportandi veniam in Gallias (Licentiam) elargiri velint. Et Neptuni favor paullo recessisse videtur. Expeditionesque magnis susceptas impensis perniciosas potius dixeris, quam fructuosas. —

Admiralis Saumarez magno cum navali adparatu et hiatu suo, quid dignum tulit? annum et quod amplius perdidit. — Sero Memeliam, Pilaviam, Regiomontum perventum, imo in hac urbe secundum privatas litteras demum etiam fiscus manum admovit. — Danicae praedatoriae tormentariaeque naves interim notabilem 600 navibus constantem mercatoriam Classem parte mercium et navigiorum levi negotio exuere, etenim Aeolus plenis buccis Mare Balthicum inspiravit, et naves dissipavit.

— — disjecitque rates — —

Sensus, Europaeam Industriam absque violenta Catastrophe citius aut serius Anglicanae praepotentiae succubituram denique fuisse, in universo se explicavit Continente. Hanc ob rationem Fridericus VI. sancitum pro Ducatibus Slesvicae, et Holsatiae vectigal pro colonialibus dependendum mercibus Edicto de 27. ad Regna quoque Daniae et Norvegiae extendit. Edicto de 30. ex-

portatio
rum Pr
Berolini
mercium
lonicale
ctae sub
liciani r
mit. M
vis in c
rigoris
dundan
In Bav
rando
vection
vice ph
ce Vu
tionem
ratoris
cuncta
profect
mento
pertur
prima
de res
riatur
gans c
praevi
gno In
vetica
serio e
simile
di rati
Deposi

portatio maritima quorumvis non Europaeorum Productorum ex Ducatibus vetita. — Berolini quaevis Promtuaria et Depositoria mercium die 30 sigillo adfecta, Merces colonicales clanculario invecctae Fisco addictae subjectaeque. Dantiscum sub favore Gallicani regiminis pharmaceuticas merces eximit. Non commemoramus opportune ubi vis in ditionibus Rhenani Foederis adhibitam rigoris plenam executionem et erroneas redundantium consecratorum supputationes. — In Bavaria specialis in hoc negotio moderando viget Commissio. Wittenberga invectionem Coffeae penitus interdixit, atque vice plus simplici Anglicanas merces publice Vulcano tradidit. Eximiam agendi rationem, quae diu meditatam Galliae Imperatoris systema tandem in effectum deducit, cunctasque artes technasque elidendas habet; profecto dolorosae convulsiones atque momentosae cujusvis commercii confusiones et perturbationes consequi debuerunt; verum in prima duntaxat conturbatione fieri potuit, ut de restituendo rerum ordine dubium suboriatur; ad quem obtinendum utique suffragans omnium Statuum vadimonium prima praevia conditio est. — In Neapolitano Regno Interdicto (Sequestro) Germanicae Helveticaeque manufacturales merces perquisita serio earum origine jam reapse relevatae sunt, similem scopum et consilium indicat agendi ratio Mediolani — sermo discurret: per Depositoria erecta indultarum mercium pro-

ut in Hollandia ita et in Italia Commercio exactiorem formam dandam et impertiendam esse. — Fide digna nixis ex relationibus depromptum videtur: praevias ordinationes jam propositas esse, qua ratione inter Status Continentis systemati deditos liberum oeconomicum commercium restitui possit, quin ullus alteri tributum pendat. Omnia tempus fidelitas, energia perducit ad maturitatem. — Vecturae varia est ratio, fortunaque vecti; Praeside vulgari, tum sub dominante potenter,

Qui omnia perpendit, sorti nil ultra relinquit.

Diarium Polit Eventorum.

Londino 10. Nov. Admiralitas heri publicum nuncium cum litteris pro Dno Mackenzie Morlaeum expedit; ex parte regiminis nostri nihil intermittetur, quod humanitatis ratio svadere potest, ad tam saeva ratione et diuturno tempore in captivitate detentos populares nostros redimendos.

Ad haec Monitor seqv. facit animadversionem: „Si populares redimendi efficax vobis voluntas, unum duntaxat vobis medium superest, utpote: juste agere, et viritum gradatimque Gallum in vicem Angli, Portugalli et Hispani permutare, haec conditio est *sine qua non*, in quovis permutationis argumento pro praesenti aequae ac futuro tempore.”

„Dum pacis Tractiones vobis proponuntur, ajitis; eam a vobis acceptari propositionem nequire, quin Insurgentes Hispanos iis inseratis, dum contra de permutationis Tra-

etatu sermo vertitur, in eo militiam, quae in medio amicorum sociorumque vestrorum comprehensa est, acceptare cunctamini — ait sine? milites Hispanici Galleciae exercitus, qui in captivitatem deducti, ad receptum Gen. Moore tuendum, erga Gallos non permutandos esse, qui iisdem proeliis aut quavis alia occasione adprehensi sunt. — Quid? milites exercitus Cuestae, qui acie ad Talaveiram dextram Anglicani exercitus Cornu effecerunt, qui Anglicani exercitus partem postremam constituerunt, in trajectu Tagi in captivitatem inciderunt, militia vestris in stipendiis, quae pro Vellingtonio se immolavit, eique receptum tutiorem reddendi veniam largita, haec militia a permutatione eximenda neque pro Anglicana reputanda esset? —

Quid? adprehensus pro Gadibus Hispanos, qui vestris cum legionibus eruptiones susceperunt, hos redimere cunctamini? — quid? praesidarios Civitatis Roderici et Almeidae quos his locis inclusistis pollicentes opem allaturos, qui exercitui vestro praesidio erant, vobis se victimas obtulere, hos agnoscere detrectatis? — hoc quidem nequit esse; accessorium sequitur principale, cum haec militia vestra in societate pugnaverit, vestris armis instructa, vestris in stipendiis fuerit, vestris pannis vestita processerit in aciem, permutationem cuius nationis cunquē fuerit ingrediatur est necesse.

Toto permutationis Tractatus tempore Anglicanum Secretum Conclave effugiis solummodo usum, quorum consecrarium erat, permutationi viritim et gradatim suscipiendae intercedendi consilium, Gallosque Anglos, Germanos, Portugallos, et Hispanos ceu aequalitate mutua gaudentes aestimandi, et permutationem utriusque belligerantis massae in effectum dandi. D. Mackenzie tandem expetitis, binis vicibus, Commeatus litteris ante mensem Morlaeo discessit.

Caeterum Anglicanum regimen Mandatarium negotiique minus gestorem, quam exploratorem abiegit; non potest agendi indecentior esse ratio quam ab eo adhibita. Libertate sibi data abusus provinciam ad 8—10 milliaria pervagatus commercium fovit litterarum, jura adversus provincialem Politiam usurpabat, atque licentiae juvenis hominis, vivendi rationi, experientia et gravitate destituti, se dedit.

D. Mackenzie sub finem belli An. 1805 Agens in negotio ad Cattaro munere fungebatur. Ex illo tempore Agens erat horribilis scenae ad Hafniam, in summa: vir est ejusdem cum Drake, Wicksam, Jackson indolis. — Si Anglis, sincera tractandi mens est, sciunt qui viri et quales a se mittendi sint; — dum Pacem Ambiacensem cuperent, Lordium Cornvalliae expedivere, cujus animi Character solum argumentum sinceræ cogitandi rationis fuit.

Anglia plures ac ullus alius Status dignis aestimatione viris abundat ob ubertatem scientiarum et characteris naturalis elegantiam. At abundat vicissim foedis hominibus pseudo Politicis, rixis, explorationibus, devastationibus quaestum facientibus viris. Ubi Angliae sincera mens tractandi cum Gallia fuerit, ex delectu suorum negotii gestorum et Mandatariorum animadvertere licebit. —

Quodcunque genus Tractatus Anglia cum Gallia inire voluerit, continuo Justitia, aq̄uitas, candor animi basis agendorum sint oportet. Fieri quidem potest, ut ignari aliqui Indiarum Reguli fallantur, at doctum regimen falli nequaquam poterit.

G a l l i a.

Parisiis die 19. Nov.

Ex principe hospitio Xerez 27. Oct.

Fussum diurnum: Cum doloris sensu nuncium percipit exercitus: D. Gen. Divis. Ducem *Senarmont* rei tormentariae Praefectum Exercitus pro Gadibus gloria plenius stadium absolvisse. Aestimatione hic dignissimus Gen. Dux in procinctu erat, terrifica a primo Exercitus Corpore opera erecta lustrandi et pervestigandi, cum ecce! fatali plumbea glande (*Haubitzam* vocant)

quam hostilis navis vibrabat, in pectore
ictus sternitur et paucis post minutis moritur.

Idem fatalis ictus D. Colonellum *Degen-
nes*, Gen. tormentarii agminis Directorem
atque D. Capitaneum Pinondelle, ambos vir-
tute meritisque excellentes Officiales, enecuit.
Gen. Senarmont cor aromate illitum in Gal-
lias transferetur. (*Monitor.*)

M. Duc. Francofurt.

Francofurto 24. Nov. Die 20. et 23. h.
Caes. Commissio hic erecta vigore Decreti
de 19. praet. m. copiam Anglic. mercium
cremandam curabat, quarum valor 540,000
Fran. aestimabatur. Utraque operatio iis-
dem solennitatibus ad effectum deducta,
quae occasione combustionis, die 19. h. lo-
cum habuerunt.

Geminus Valor.

Solenne est personas secundum opes,
et dignitates aestimare. — Cur non et Equi
secundum ephipium froenumque emuntur?